

**Ovídio, Amores, I.5**

(texto latino de E. J. Kenney em *Scriptorum classicorum bibliotheca Oxonienses*, Oxford University Press, 1997).

*Aestus erat, mediamque dies exegerat horam;*

*adposui medio membra leuanda toro.*

*Pars adaperata fuit, pars altera clausa fenestrae,*

*quale fere siluae lumen habere solent,*

*qualia sublucent fugiente crepuscula Phoebo,*

5

*aut ubi nox abiit nec tamen orta dies;*

*illa uerecundis lux est praebenda puellis,*

*qua timidus latebras speret habere pudor.*

*Ecce, Corinna uenit, tunica uelata recincta,*

*candida diuidua colla tegente coma;*

10

*qualiter in thalamos formosa Semiramis isse*

*dicitur, et multis Lais amata uiris.*

*Deripui tunicam; nec multum rara nocebat,*

*pugnabat tunica sed tamen illa tegi;*

*cumque ita pugnaret tamquam quae uincere nollet,* 15

*uicta est non aegre proditione sua.*

*Vt stetit ante oculos posito uelamine nostros,*

*in toto nusquam corpore menda fuit.*

*Quos umeros, quales uidi tetigique lacertos!*

*Forma papillarum quam fuit apta premi!* 20

*Quam castigato planus sub pectore uenter!*

*Quantum et quale latus! Quam iuuenale femur!*

*Singula quid referam? Nil non laudabile uidi*

*et nudam pressi corpus ad usque meum.*

*Cetera quis nescit? Lassi requieuiamus ambo.* 25

*Proueniant medii sic mihi saepe dies!*